



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Annotationes Ioannis Bugenhagij Pomerani in decem epistolas Pauli**

**Bugenhagen, Johannes**

**Basileae, 1524**

**VD16 B 9232**

Capvt V.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-36165**

ANNOT. IOANNIS POMER.

dum est incidere in manus dei uiuentis . Sed non derelinquit pius pater suos in hoc tam horrendo inferno. Hic sunt rursus illæ uoces gratiarum actionis de liberatione : Erubescant & conturbentur omnes inimici &c. Seruasti me à descendentibus in lacum, &c. Seruo dei, scilicet quem loquitur contra incredulos, qui sunt contra quos iurauit, ut non introirēt in requiem eius, &c. uiuus est, nō mortua litera : & efficax, id est efficiens qd' iurat. Nō ergo contēnendus est, sed timendus est ob dei iudicia, atq; sic terret sæpe hæc epistola.

C A P V T V.

Habentes igitur pontificē magnū.

**Q**uia de pontificio Christi cœperat dicere, data occasione, interim interpretatus est uerba psal. Hodie si uocē eius audieritis, &c. Reuertitur dicens: Habentes igitur, &c. Idcirco ab hoc loco recte auspicamur. Principio uero agit, ne, quia tanta maiestate & excellentia supra Christus descriptus est, fugiamus ab eo nostræ infirmitatis conscij & peccatorū. Quandoquidem & ipse est tentatus & imminutus ab angelis ad paruum tempus. Sicut supra dictum, ut fieret misericors, &c. : Itaq; deiectio Christi nobis facit ad eundem fiduciam, cum sciamus eum propter nos deiectum. Potētia uero facit perseuerandi fiduciam, quod scilicet nemo potest ex manibus eius rapere, &c. Pe-



metrauit, infra cap. 6. & octauo. Alludit enim ad introitum pontificis in sancta sanctorum semel in anno non sine sanguine.

**Accedamus igitur cū fiducia ad, &c.**

Hoc uno uerbo interpretatur nobis, quid illud propitiatorium uetus significarit. Sic & Paulus ad Rom. 3. uocat Christum propitiatorium, &c.

**Vt offerat donaria & uictimas.**

Pontificis secundum legem olim erat officium mediare inter deum & hominem, id quod fit doctrina & oratione. Porro ad orationem quoque pertinet sacrificium, sed ista mediatio carnalibus figuris agebatur, usque ad uerum pontificem Christum. Nam carnali oleo ungebantur tunc pontifices, docebant quidem, sed spiritum quo omnia intelliguntur & seruantur non dabant. Orabant, sed propter se non exaudiebantur. Sacrificabant pro peccatis, sed non seipsos, quia peccatores erant. Sacrificabant autem carnales pontifices, sed tamē à deo ad hoc electi, carnalia sacrificia, non secundum adinventiones suas, sed secundum dei prescriptum, sicut uidemus in lege Mosi. Et illi non solum infirmi erant, sed etiam mortales, quorum cum uita sacerdotium expirauit. Iesus autem unctus spiritu sancto, à deo patre iureiurando factus est sacerdos & pontifex in eternum. Qui cum suo uerbo spiritum donat in cor-



## ANNOT. IOANNIS POMERANI

de credentium, quod pro sua apud patrem reuerentia exauditus est, quando sacrificabat semel in cruce sacrificium: id est, seipsum, quo in eternum sanctificamur. Qui non indiget orare pro peccatis suis, pro nostris uero semper assistit uultui patris per sanguinem suum semel oblatum, ingressus in sancta sanctorum, hostia digna deo, in odorem suauitatis, sicut dixit lex. Vides igitur hic nihil dici de pontificibus & sacerdotibus, qui hodie sic uocantur: sed ostendi illud sacerdotium carnale secundum legem figuram fuisse sacerdotij eterni, quod in Christo cōpletum est: sicut & regnum illud carnale in Christo completum est: utrunq; spirituale factum est, iam non amplius externum & uisibile. Sacerdotium uero Christi non futurum externum, secundū legē ostensum est in sacerdotio Melchisedec: de quo spiritus sanctus in Dauide sic dicit, Iurauit dominus & nō pœnitebit, &c. de quo infra plura. Non est maior cōsolatio nobis, quàm in sacerdotio Christi. Sacerdos est & rex, ille nos reconciliat deo, hic tutos reddit & seruat, ille iustificat, hic saluat, &c.

### Nemo sibi ipsi usurpat honorem.

Nam tametsi nascebantur Leuitæ, hoc est, sacerdotij generis homines, tamen ad pontificium siue sacerdotium non accedebant, nisi electi, &c.

Qui in diebus carnis suæ, cum &c,  
Christus in mortali carne, semper orauit pro nobis,



Quum semper desiderauit & sitiuit nostram salutem,  
maxime uero in sacrificio crucis orauit: pater ignosce  
illis, quia nesciunt quid faciunt. ut taceam de reliquis  
desiderijs eius.

Etenim cum debeatis pro  
temporis ratione.

De sacerdotio Melchisedec ex scripturis scripturam  
scientibus Hebraeis locuturus, increpat grauitur eos,  
quod qui iam diu audierant ex scripturis Christum, ut  
iam oporteret eos aliorum esse magistros, tamen adhuc  
ut pueri in infimis haerent, & maiora, quamuis in Chri-  
stum credant, ut est quod instituit de Christi sacerdo-  
tio, capere non possunt. Quae increpatio etiam ad nos  
stros uel in primis attinet, qui admirantur, dum de Chri-  
sti sacerdotio secundum scripturas aliter loquamur,  
quam ipsi haecenus somniarunt. & tamen bis, ter uel in  
die canunt & legunt: iurauit dominus, & non poeni-  
tebit eum. atque hac increpatione digreditur, & septimo  
cap. reuertitur ad sacerdotium Melchisedec.

C A P V T VI.

Quapropter omisso, qui in

**C**hristo rudes inchoat.

Quum praecedentibus haec cohaerent: relinquimus  
ergo illa prima rudimenta quibus primum paruuli in Chri-